1159 scripseram,[1] se per omnia facturos promittebant, scilicet quod ipsimet, quos vellent, consules eligerent et electos ad imperatorem vel ad eius nuntium ad hoc constitutum pro iuranda imperatori fidelitate adducerent. Contra hoc nuntii imperatoris respondent, quod ipsi Runkalie hoc imperatori dederint consilium, quod per suos nuntios in civitatibus Lonbardie ponat potestates, eo consilio utantur et ipsi, attamen, quos velint, eligant, sicut volunt, consules vel potestates eos appellent, solummodo per nuntios imperatoris eos eligi permittant. Cum hanc voluntatem eorum tam populo quam aliis in summo monasterio sancte Marie virginis referunt, repente fit clamor: fora, fora! Mora, mora! Quod in vulgari eorum sonat: trahantur foras, moriantur. Firmiter curie claudimus portas, per fenestras in palatia nostra iaciuntur lapides, consules eorum accurrunt, sedatur populus, tantus quiescit tumultus. Hoc populum ebrium sine eorum consilio fecisse referunt, ne hoc usque ad imperatorem perveniat, rogant plurimam eis pro satisfactione promittentes pecuniam. Nuntii

1) V. oben V.